30

THEMATA CONTROVERSIARUM SELECTA

EX IIS, QUAE

ISAGOGICO AD CHRISTIANAM THEOLOGIAM APPARATU

PRIMUS EDISSERUIT, VINDICAVIT

MELCHIOR CANUS

EPISCOPUS CANARIENSIS EX ORD. PRAEDIC.

PUBLICO LITTERARIO CERTAMINE DEFENDET


FR. THOMAS MICHAEL SALSANO

REGII NEAPOLITANI COENOBII AB. D. P. DOMINICO

ALUMNUS

ET IN COLLEGIO D. THOMAE AQUINATIS DE URBE
SACRAE FACULTATIS AUDITOR.

FACTA CUIQUE A TERTIO SINGULAS OPPUGNANDI POTESTATE.



ROMAE MDCCCXXVIII

TYPIS JOSEPHI ET FRANCISCI SALVIUCCI

FRANCISCO

S . R . E . PRESBYTERO . CARDINALI . BERTAZZOLIO

TITVLO . S . MARIAE . SVPRA . MINERVAM

OPTIMOS . INTER . AC . MAGNOS . ECCLESIAE . ANTISTITES

ANIMI . CELSITVDINE . DOCTRINAE . LAVDE . RELIGIONIS . GLORIA

SPECTATISSIMO

AB LEONE NOMINIS HVIVS XII

REI . CHRISTIANAE . HIERARCHA . PRINCIPE

IVRE . MERITO . QVE . STVDIIS . MODERANDIS

PRAEFECTO

QVOD . HVMANIS . QVIBVS . QVE . DIVINIS . QVE . MAXIME . LITERIS

EXCOLENDIS . AMPLIFICANDIS

IAM . PRIMIS . AB . EPHEBIS . MAGIS . QVE . AEVO . PROGREDIENTE

EGREGIAM . NAVARIT . OPERAM

HVIVS . THEOLOGICAE . EXERCITATIONIS . SPECIMEN

OBSEQVII . DEVOTIONIS . ERGO

THOMAS . MICHAEL . SALSANO

DOMINICIANI . INSTITVTI . PROFESSOR

D . O . C

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Floridum plane iter, semitasque ad principem disciplinarum omnium illustres Theologos inter Canum egregie inivisse, adeo est omnibus evidens, trium ferme saeculorum consensione perhibente, ut vix quemquam latere possit, qui editas hactenus de divinis lucubrationes vel a limine salutarit. Sed eo interim præclaro munere, quo de universa re Theologica tantopere meruit vir ille summus, omnium licet scholarum institutioni operæ multum, studiique impenderit, sua

tamen domesticos inter parietes decori, atque incremento potissimum adlaboravit. Quam porro frugifero, quam læto, uberique successu! Eo revera, ut jam omnium suffragio comprobetur, quod pridem ab erudito viro traditum est, Canum videlicet ipsum, divite qua præstabat doctrinæ copia, omnigenaque eruditionis suppellectile, integræ classis vicem gerere potuisse, ad hæresum monstra ubique gentium profliganda. Jam itaque ejusmodi, aliaque insignia prorsus emolumenta, quæ oppido ingentem commodorum partem in universam Christianam Rempublicam, longo abhinc tempore, derivarunt, in causa fuere, cur inde Majores nostri præcipuis in Ordine Academiis nova arte locupletandis, in iisque Adolescentibus ad omnem, cumulatamque divinorum scientiam optime fingendis, lege lata, edixerint: sublimioris adeundæ Theologiæ Isagogen, ac veluti normam, futurum deinceps nostratibus Cani Opus eam ob rem sedulo, sapienter, elegantissime concinnatum. Huic oportere omnino ingenii aciem, industriæque nervos intendere; huic pressis instare vestigiis, diuturnisque lucubrationibus impallescere, si quidem est animus recta ingredi, primique subsellii viros æmulari.

Sed quorsum hæc dissero, quorsum isthaec evadunt? Eo adamussim, ut pateat mox unde sit, quid afferat, quoque demum spectet publica hæc a me ineunda disceptatio. Quod me nimirum litterario hoc anno Palestræ, cui apud nos præclarum ab Cano nomen, operam navare oportuerit, meos idcirco, quicumque illi fuerint in id exercitationis genus labores, profectusque, publice experiri, Præside Ordinis amplissimo decernente, jubeor, peneque adigor. At meæ nequicquam tenuitatis oblitus, id probe etiam intelligo, perarduum mihi, ac salebrosum tentamen istud futurum, nisi

protinus hærentis animus Viri alicujus sapientis ope, conspectu, auspicioque tueatur.

Jam porro ejusmodi, quod vehementer optabam, sapientiæ laudem, dignitatis amplitudinem, comitatisque ornamentum, in quonam alio quam in Te illustriora reperire, PRINCEPS EMINENTISSIME, *datum erat? Si fas mihi vetera repetenti clarissima illa litterarum, doctrinæque primordia vel innuere, queis ipse ab ineunte juventa florentissimum olim Bononiense, ab Divo Parente Dominico, Athæneum mirifice illustrabas; si dein et his alia jungere liceat insigniora profecto latissimæ eruditionis specimina, quæ magni semper doctissimi quique in Ecclesia facere; quam illico amplam, uberemque de tuis laudibus fandi copiam, tua illa decora suppeditarent? Sed hominis interim altiora quæque virtutum inhiantis, ob idque laudum rumorem fastidientis, laus nulla potior, atque sublimior, quam quæ obsequenti, ac tacita factorum illustrium admiratione transigitur. Quod itaque exoptas, tuorum hic munerum, inque Rem Christianam meritorum excellentiam consulto prætereo; si quidem annuas id a me pandi, quod præterire nec debeo, nec vero possem. Loquor nimirum veterem illam benevolentiæ, officiorumque necessitudinem, quæ Tibi jamdudum cum Schola Aquinatis doctrinæ causa intercedit, ob adseqntam a Te mirifice Doctoris illius Angelici mentem, ac disertissimam, ex aureis ejus de re Theologica operibus, eruditionem. Adeo quippe ea præstas, planeque insigniris, ut summus quisque celebriores inter Doctorum Principis asseclas, Te oppido suspiciat, ingenue colat, magnopere admiretur.*

His jam et ego accedere mihi gloriæ verto, his etiam ciendis honoris plausibus anteire percupio. Ea namque ge-

stientis animi gratulatione , haud equidem perperam futurum confido , ut nostra in dies cariora habeas , propensius geras. Cumque Te jure studiis ***moderandis Præfectum*** *SS. D. N. LEO XII. Pontifex* ***Maximus*** *litterarum* ***bono*** *, religionisque incremento voluerit ;* ***inde etiam sacris quibusque*** *apud nos excolendis disciplinis felix ,* ***faustumque omen*** *capere licebit , tua id spondente* ***procuratione*** *, atque* ***munificentia*** *opitulante. Ad me interim quod attinet utriusque* ***opem*** *, atque suppetias hic pronus efflagito : quas si* ***comis*** *, lubensque indulgeas , alacer , strenuusque hoc* ***marte*** *dimicabo , fortunamque eventus , cum optabilium quorumque* ***adprecatione*** *, Patrono inclyto lubentissime deferam.*

EX ALTERO INSTITUTIONUM LIBRO.

LOCUS AB SCRIPTURAE CANONICAE AUTHORITATE.

1.

Cum divinæ , æternæque veritati perenni veluti fulcro innitatur quanta , quanta est Scripturarum authoritas ; Jam inde ab limine eam constituamus oportet. Asserimus itaque : *Deum , nec de ordinata , ut inquiunt, nec de absoluta potentia mentiri posse.*

2.

Idem præterea , iisdemque ducti momentis de mendacio adfirmamus aliorum nequitia instruendo : ab illo videlicet divinæ naturæ perfectionem , sanctitatemque quammaxime abhorrere.

3.

Scrutandis porro Dei verbis , iisque haud secus ab humanis eloquiis secernendis , repugnat inprimis Judicium de Scripturis idoneum, e Scripturarum earumdem Fontibus haurire.

4.

Absurdum pariter, longeque divinis oraculis injuriosius , Judicium illud privati cujusque sensus dictamine instituere, ejusque in Revelationis Dogmatibus auctoritatem obtendere.

5.

Quod itaque nec ab Scriptura, nec ab privata cujusque Christiani Civis sententia licet addiscere ; id optime , citra

quodlibet erroris discrimen Ecclesiæ magisterio edocemur, ex quo illud consequens, Scripturam nimirum Ecclesiæ approbatione indigere.

6.

Eam ob rem jure, ac merito in censum Canonicorum librorum referendos propugnamus, quotquot novissime, ut ejusmodi ab Tridentina Synodo admissos relatosque accepimus, præsertimque ex veteri Instrumento Septem illos Baruch, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Duosque Machabæorum; totidemque ex novo fœdere, Pauli nimirum ad Hebræos Epistolam, Jacobi alteram, secundam item Petri posteriores Joannis duas, Catholicam Judæ, demumque Apocalypsim; de quibus omnibus vel Orthodoxis licuit aliquando absque Fidei jactura dubitare.

7.

Quandoquidem vero recensiti hactenus, cæterique Canonici Scripturarum Libri, nativo quo ab Agiographis scriptoribus exarati fuere Idiomate, ac stylo in Ecclesia universa minime legantur; par erat omnino Ecclesiæ ipsius Institutioni, omniumque Fidelium emolumento, librorum eorumdem accuratissima edita interpretatione; illam ab omnibus retinendam, publica, eademque Divina auctoritate proponi. Hæc veteri vulgatæ Editioni apprime congruunt omnia. Illa propterea in his quæ Fidem, moresque spectant, regulæ instar falli nesciæ accipi debet.

8.

Prona hinc, eademque exploratissima illius dogmatis consecutio: In Fidei nempe, ac morum Disputatione, non esse

nunc temporis ad Hebraica, Græcave exemplaria provocandum; nec ex iis certam controversiarum fidem esse faciendam.

9.

Demum ad ipsam, quod attinet divinarum Scripturarum originem, certitudinem, dignitatemque, id nos adversus Erasmnm, aliosque lascivientis ingenii, atque intemperantioris criticæ homines constituimus: Singulas Librorum Canonicorum particulas Spiritu Sancto adsistente fuisse conscriptas.

EX LIBRO TERTIO.

LOCUS AB TRADITIONIS, PRAESERTIM DIVINAE AUCTORITATE.

10.

Loci hujus evidentiam, ac firmitatem quatuor, iisdemque potissimis fundamentis consurgere exploratissimum est. *Primo* videlicet Scriptura qualibet Ecclesiam antiquiorem habendam. *Altero*: non omnia quæ ad Christi doctrinam attinent, esse etiamnum in sacris litteris expressa. *Tertio*: Pleraque Christianum dogma afficere, quæ nec aperte, nec obscure in sacris literis continentur. *Postremo* tandem Apostolos maximis de causis alia quidem literis, alia autem viva voce prodidisse.

11.

Horum autem illud est consectarium: Divinæ undique Revelationi in iis quæ ad Fidem, moresque attinent, assequendæ, Traditione opus esse, eamque ob id, Numine in necessariis Ecclesiam minime deserente, vere apud nos existere, æternumque exituram.

12.

At ne quis forte traditionis Mysteriis, Præceptionibusque vestigandis, veteratorum fraudibus, astuque illigetur, normæ sunt quædam, ac veluti tesseræ huic tentamini obeundo. Omnium instar eam præcipuam ab Augustino Doctores inter celeberrimo L. 14. contra Donatistas proditam vindicamus. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi auctoritate Apostolica, traditum rectissime creditur.*

13.

Sed jam ab divinis, de quibus hactenus Apostolicas, quæ mere ejusmodi sint, traditiones discriminamus. Ab his vero priores illas tum Ecclesiæ judicio vel maxime, tum criteriis quibusdam accurate secernimus. Ea inter criteria potiore loco habemus, quæ indolem spectant Traditionum earumdem: Si Fidei Dogma suapte natura attingant; Si nullam mutationem patiantur; si humanam superent potestatem.

EX LIBRO QUARTO

LOCUS AB ECCLESIAE AUCTORITATE.

14.

Quam ex Nicolao Pontifice Ecclesiæ notionem Canus edisserit, Catholicorum collectionem Ecclesiam ipsam pronuncians, eam & nos accuratissima Cani ipsius explicatione accedente, complectimur. Paucis tamen, qui velit Ecclesiæ statum, juraque animo comprehendere in promptu habet eximiam ab Do-

ctissimo Bellarmino traditam definitionem his verbis: *Cœtus est hominum ejusdem Christianæ Fidei professione, et eorumdem Sacramentorum Communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.*

15.

Temere autem, nedum perperam finitionem illam carpit hypercriticus Launojus, tamquam veteribus Ecclesiæ Patribus, Auctoribusque penitus inauditam. Quandoquidem ab eo congestæ ex veteribus illis Ecclesiæ notiones, non tam genuina Patrum sensa præseferunt, quam libera, prorsusque injuriosa contra mentem eorumdem, Launoj interpretamenta.

16.

Ob antedicta Catharos, Donatistasque ex prisci ævi Heterodoxis; ex recentioris quoque Anabaptistas, Lutheranosque refellimus qui cum perfectam in hac etiam mortali vita Fidelium justitiam volunt, illic effutiunt nullam Ecclesiam habere partem, ubi solida haud nitet doctrinæ puritas, & integritas.

17.

De maximo item errore, impietateque Wicleffum, Joannem Hus, Gregaliumque reliquorum catervam juremerito postulamus, quod ii blaterent ad unum omnes, solis ad gloriam prædestinatis in Ecclesia locum esse.

18.

Demum, & iis expugnandis occurrimus, qui vesano prorsus deliramento confinxere sibi, aliisque, si potis essent propi-

nare monstrum illud paradoxi adgressi sunt. Probos dumtaxat ad Ecclesiam pertinere; Improbos autem ab ea sanctorum Societate omnino arcendos.

19.

Nunc porro, germana Ecclesiæ notione firmiter constituta, quæ sit ejus ab Christo Auctore sancita Regiminis forma, jurimque potestas, constituamus oportet. Monarchicum esse Regimen in orthodoxa Christifidelium societate, ex ipsa præsertim divini utriusque Primatus ratione, Angelico præeunte, evincimus.

20.

Alterum quoque ob id ponimus, Christianam nimirum Rempublicam, qua benè, optimeque morata societas est, ab nulla prorsus humana, civilique potestate pendere nec ad internum, ut vocant, nec ad exterius, quod attinet obeundi Regiminis forum.

21.

Suam quippe divinitus nacta existentiam, juraque omnia ad animarum salutem, felicitatemque procurandam, suis exinde æquissimis sanctionibus, divinisque legibus moderatur, cum ad Dogmatum veritatem enucleandam, tum ad quævis exterioris disciplinæ capita constituenda.

22.

Errare igitur in rebus Fidei, morum, disciplinæque, Catholica Ecclesia nullatenus potest, quæ nixa firmissimo Dei fundamento consistit, quæ tuta, perpetuoque ineluctabilis est *columna, et firmamentum veritatis.*

23.

Nunc porro ne erret, veritatis spiritum, haud solum Ecclesia habet universalis, collectio nimirum Fidelium quorumque, sed habent præterea, æternumque sunt habituri Ecclesiæ Principes, Pastoresque.

24.

At quinam ejusmodi, cum hærente sibi Christiana Plebe veram, perpetuamque Ecclesiam efficiunt? Ex characteribus id, notisque decernendum. Jam igitur abjectis huc pseudo-notis, signisque per Lutheranos invectis veram esse Ecclesiam illam arbitramur, quæ Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicamque se præbeat.

EX LIBRO QUINTO.

LOCUS AB CONCILIORUM AUCTORITATE.

25.

Cum Synodi, Conciliive nomine, Cætus illi Christianorum Antistitum, aut etiam Presbyterorum Ecclesiæ veniant, qui vel ex aliqua Regione, vel simul ex omnibus, qua late patet Orbis coalescunt; varia hinc, & genere, & auctoritate Concilia ipsa intelliguntur. Quæ interim Episcopalia, Metropolitica, aut Nationalia vocant, haud certam, omnimodamque Fidem exhibent Catholici dogmatis si Confirmatio desit Romani Pontificis.

26.

Imo vero, nec Æcumenica ipsa, utcumque demum universalem Ecclesiam repræsentent, quidquam in Fide, moribusque auctoritatis obtinent eo abnuente, penitusve refragante, qui omnes Primatus jure antecellit, atque omnibus cum honore, tum ditionis potestate præest, Romano videlicet supremo quorumque Episcopo.

27.

At Generalem quamcumque Synodum cum indictam, tum etiam Apostolicæ firmitatis robore, ab Romano Præsule confirmatam, citra omnem omnino errandi, fallendique jacturam in Fidei, morumque rebus versari contendimus.

28.

Quin & alias item numero licet, dignitateque inferiores Synodos, ab quavis erroris nota immunes penitus existimamus, quoties illarum acta, finitionesque Romani Pontificis Petri successoris oraculo fulciri constet.

29.

Sed nondum interim de oraculo illiusmodi, ad Synodorum gesta confirmanda evincimur, una duntaxat Legatorum R. Sedis præsentia, suffragioque intercedente, quin necesse ulterius, ut optime Cajetanus advertit, ipsiusmet R. Pontificis auctoritatem, sententiæque exinde ineluctabile pondus accedere.

30.

Ne quis autem præpostero, præcipitique Judicio arbitretur unas dumtaxat in Synodorum actis, finitionibusque tran-

sigendis R. Pontificis esse partes ; hoc item veluti orthodoxum dogma propugnamus : Episcopos nempe in Conciliis vere Judices esse, potirique divinitus jure suffragii in Fidei, morumque causis.

EX LIBRO SEXTO.

LOCUS AB ROMANAE ECCLESIAE AUCTORITATE.

31.

Notæ illæ de quibus Thesi 24. quod uni Romanæ Ecclesiæ congruant, alteri Sectarum nemini prorsus; magno, invictoque argumento sunt, Romanam dumtaxat veram esse Christi Ecclesiam, reliquas omnes ab ejus Communione disjunctas sectas, nonnisi absurdas, prophanasque Satanæ Synanogas.

32.

Illius vero procurationem, ac Regimen, quisquis ut Pastor legitime inauguratus administret; verus atque unus ille habendus Petri Successor, summusque in terris constitutus Christi Vicarius.

33.

Qua talis exinde nedum honoris, dignitatisque, sed veræ, ac propriæ dictæ jurisdictionis Primatu in Ecclesia universa potitur, sive ea dispersa per orbem, sive aliter in Conciliis collecta intelligatur.

34.

Ab veri itaque tramite eos omnes abesse colligimus, qui Æcumenicarum Synodorum auctoritatem, illius juribus præ-

stare contendunt, a quo uno duntaxat Synodi eædem indici, celebrari, confirmarique infallibili prorsus oraculo debent.

35.

Ejusmodi porro & munus, & decus esse R. Pontificis cum Sacræ litteræ, cum Testes divinarum Traditionum locupletissimi apprime suadent: queis nempe edocemur eumdem in Terris Christi Vicarium in Fidei, morumque Controversiis finiendis errare non posse.

EX LIBRO SEPTIMO

LOCUS AB. SS. VETERUM AUCTORITATE.

36.

Traditionis Apostolicæ, ejusdemque divinæ Testes, Patres cum habeantur, & sint, eos exinde in unum simul de re aliqua ad Fidem, moresque spectante adamussim consentientes; adeo magni facimus, ut eisdem, qui refragetur, insignis, planeque damnandæ temeritatis notam nequiquam effugiat.

37.

Quamquam & illud ratum exploratumque habeamus, de genuino, eodemque unanimi Sanctorum eorumdem consensu judicare, nullius esse ex privatis quibusque Christianæ Reipublicæ civibus, quod sibi merito Ecclesiam vindicare profitemur.

EX LIBRO OCTAVO

LOCUS AB DOCTORUM E SCHOLA AUCTORITATE.

38.

Scholæ Theologicæ vim, auctoritatemque Lutheranis hominibus oppido invisam, aspernatamque; etsi non adeo tuemur ut ejus ope Ecclesiam necessario indiguisse dicamus; plurimi nihilominus ob præclaras in Ecclesiam ipsam invectas utilitates, faciendam, colendamque sustinemus.

39.

Atque adeo id volumus tanti esse Doctorum illiusmodi in Ecclesia existimationem, auctoritatemque, ut ex illorum omnium communi sententia in re quidem gravi satis probabilia eruantur argumenta, queis refragari temerarium omnino sit.

40.

Concordi vero omnium simul Theologorum Scholæ de Fide, aut moribus sententiæ contraire, si hæresis non est; at hæresi valde proximum esse adfirmamus.

Publica de his erit Academia ad S. M. supra Minervam die 12. *Augusti hora* 5. *a meridie Cathedram moderante* Fr. Angelo Vincentio Modena *Loc. Theolog. et Hist. Eccles. Professore.*

NIHIL OBSTAT.

Fr. Carolus Thil Augustinianus Cens. Theol.

IMPRIMATUR.

Fr. Dom. Buttaoni M. S. P. A. S.

IMPRIMATUR.

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.